I. N. S. S. T.

DISPUTATIO MEDICA,

DE

DIARRHOEA,

QUAM

ASPIRANTE BENIGNISSIMA DIVINI NUMINIS GRATIA, AUTHORITATE ET INDULTU INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ IN FLORENTISSIMA HIERANA,

SUB

PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI ATQUE EXPERIENTISSIMI

DN. JUSTI VESTI,

Med. Doct. Botanic. Profeſſ. Publici, Practiciq; celeberrimi,

Dn. Præceptoris & Patroni æternùm venerandi,

Publicæ Philiatrorum diſquiſitioni ſubmittit

AUCTOR & RESPONDENS

GOTHOFREDUS BERGMANN,

GOTHANUS,

IN AUDITORIO MEDICORUM

ad diem 3. Aprilis

horis conſvetis.

ERFURTI, Literis HERTZIANIS,

Anno M. DC. LXXXII.

VIRIS
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS AC PRUDENTISSIMIS
DOMINIS
DNN. CONSULIBUS, TOTIQVE INCLYTÆ
GOTHANÆ REIPUBLICÆ ORDINI SENATORIO SPECTABILI
PATRIÆ PATRIBUS
DNN. PATRONIS, FAUTORIBUS AC PROMOTORIBUS SUIS MAXIME VENERANDIS AC SUSPICIENDIS,

Hanc diſputationem medicam in debitæ gratitudinis indicium ſuorumq; ſtudiorum ulteriorem commendationem,


Summâ animi ſubmiſſione, conſecrare voluit

AUCT. & RESP.

Q. D. B. V.

PRÆLOQVIUM.

COmmune est proverbium, DEum & naturam nihil facere frustrà. Multa interdum naturæ nostræ contraria obviam veniunt, quæ, licet in conspectu nostro videantur quasi adversa, attamen in eventu seu exitu sunt salutaria: Id accidit & in nostro affectu, à quo nullus sexus, nulla ætas immunis manet, præsertim si diarrhœa criticè accidat. Exemplo nobis erunt infantes, quando nimirum eorum dentes prorumpere solent, sæpissimè corripiuntur Diarrhœâ, quod tamen criticè ipsis evenit: Quoniam plerumq; vel semper pertingit ad eorum salutem. Quâ de causâ quædam de hâc nostrâ supra memoratâ materiâ in medium producere nobis placuit: faveat ergò nobis summus Archiater, ut omnia cedant ad optatum finem, nominis sui gloriam, proximi commodum ac emolumentum.



Thesis I.

§. 1.



AFfectus nostri, quem pertractaturi sumus, Diarrhœam nempè, operæ pretium erit, ut Etymologiam prius examinemus, originem scilicet seu derivationem hujus vocabuli; derivatur autem Græcis ἀπὸ τοῦ διὰ καὶ ῥέειν à perfluendo; quasi humores maligni beneficio intestinorum per alvum effluant & quidem sine inflammatione aut exulceratione quâdam; sed quatenus natura interdum solicita excernit id, quod sibi est molestum.

§. 2. In ordine sequitur Homonymia; sumitur Diarrhœa vel latè vel strictè; LATè pro quovis alvi fluxu, v. g. dyssenteria, lienteria &c. nostroq; symptomate. STRICTè verò accipitur pro quovis solummodo intestinorum profluvio stercoreo, diversis humoribus pravis atq; excrementitiis simul intermixtis; sivè fluxus hic sit criticus seu in symptomaticum degeneret. Et in hoc sensu à nobis accipitur vox Diarrhœa.

§. 3. Non prætereunda est Synonymia; affectus nostri apud Auctores multa prostant vocabula, ab aliis vocatur profluvium, Cornelio Celso l. 4. c. 19. dicitur fluxus ventris, ab aliis solutio alvi, vel alvus liquida, vel ventris turbatio, τῆς κοιλίης ταραχή, uti Hipp. s. 1. aph. 2. refert; Dejectio vel excretio, à Germanis verò der Durchfall / der Bauchfluß / das Durchlauffen.

Thes. II.

Thes. II.

§. 1. Præmissis his transgredimur nunc ad realem definitionem, quæ hæc est:

Diarrhœa est frequens & liquida fœcum alvinarum humorumq; vitiosorum tùm quantitate, tùm qualitate peccantium per alvum copiosa dejectio à spiritu intestinorum insito irritato continuòq; stimulato, dependens, sine tamen intestinorum vulneratione, exulceratione atq; excoriatione.

§. 2. Generis loco ponimus *frequentem alvi dejectionem*, rectè proinde ad symptomata & quidem partim ad auctas, partim ad depravatas actiones referri potest, sive pauca, sive copiosa excernatur materia. Non enim denotat affectus noster diarrhœam malignam seu morbum quendam epidemium, sed quatenus natura hominis interdum spontè nec coactè sed αὐτομάτως uti Hipp. loquitur vid. aph. suprà citatus, sese expurgat, licet sæpissimè in symptomaticam abeat. Hinc Celsus non immeritò monet lib. 4. c. 19. Diarrhœas licet perdurent ad septimum usq; diem, esse salutares, [si febris absit] & post hanc quiescant.

Thes. III.

§. 1. Subjectum ejus primarium seu adæquatum sunt intestina tàm tenuia quàm crassa. Secundarium verò ventriculus ac quælibet corporis humani pars, in quâ humores justò acriores elaborantur vel excrementitij stagnant, qui sæpissimè ab archæo nostro resoluti, transmittuntur ad intestina, ut hoc modo cum fœcibus alvinis evacuentur.

Ventriculus enim alimenta non ritè fermentata & probè digesta transmittit ad intestina, quæ crudiora ulteriori in intestinis alterationi resistunt atq; chylificationem perturbant, cum manifesta intestinorum Arrhœi irritatione, unde presso pede subsequitur diarrhœa, vid. Joh. Matth. Gradius, qui ventriculum & intestina simul in culpa habet.

§. 2. Experientia etiam testatur hinc inde in diversis corporis partibus humores nonnunquam excrementitios hærere, qui à naturâ [sive ut recentiores loqui amant ab archæo] resoluti atq; ad intestina ablegati, excitant diarrhœam criticam, morbumq; simul solvunt. Tale quid observavit Cl. Dn. Præses ante biennium Hildesiæ in muliere hydropicâ. Hic sæpissimè contingit, ut nudis pedibus in pavimento, nimirum tempore brumali, deambulantes, in diarrhœam incidant cum ingentibus abdominis torminibus: quoniam aëris frigidioris antiperistasis poros occludit, ut sudor erumpere, sanguinisq; excrementa fuliginosa transspirare nequeant, sed spiritus pedum insitus robustus hæc ad interiora repellit. Sudor enim pedum reliquaq; sangvinis excrementa, semel à massâ sanguineâ sequestrata atq; è vitalitate elapsa, maximas nobis creant molestias, nisi maturè ex corpore eliminentur.

Thes. IV.

§. 1. Causa ejus proxima & immediata sat luculenter patet in definitione, nempè Archæus seu Spiritus intestinorum insitus irritatus ab humoribus acribus, sylvestribus, biliosis, acidis ac peregrinis in intestinis vel quantitate vel qualitate peccantibus vitioseq; effervescentibus, atq; spiritum intestinorum insitum præter naturam stimulantibus.

§. 2. Causæ mediatæ propinquiores sunt humores omnis generis vitiosi non solùm in intestinis jàm tùm existentes,

ſtentes, verùm etiam in ſanguine & cœteris corporis partib9 cumulati: Potiſſimum verò anſam præbent affectui noſtro, bilioſi, ſeroſi, lymphatici, acidi atq; mucoſi, qui ad inteſtina delati cum ſcybalis ſimul evacuantur.

§. 3. Chymicorum anteſignanus Paracelſus refert morbum hunc ad Sal reſolutum, quod malam digeſtionem non ſolùm in ventriculo, verum etiam in inteſtinis cauſatur & poſtmodum acrimoniam vitioſorum humorum continuat atq; conſervat ad perpetuum usq; ſtimulum.

§. 4. Helmontius tractatu Pylorus rector §. 18. ſtatuit: Pylorum eſſe directorem totius œconomiæ ſtomachicæ, ſin verò non plenarius ſit conſenſus pylori cum felle, oriri ex his omnis generis tormina & diarrhœas: Diſſenſus autem fit, quando bilis præternaturalis ingruit, vitioſèq; cum ſucco pancreatico itidem acriore effervescit (vid. cap. 13. lib. 1. praxeos Sylvianæ) & ſic per conſequens pylorum furibundum reddit, hinc fiunt atrociſſimæ exorbitantiæ usq; in ultimum inteſtinorum gyrum.

§. 5. Pituitoſi ac mucoſi ſœpiſſimè humores transeunt in diarrhœâ, qui aliàs inteſtinorum parietibus interioribus agglutinati ſunt, ut eadem partim defendant ab acrium humorum injuriâ, partim fœcibus alvinis vias lubricitent, tractu tamen temporis in diarrhœâ nimirum diuturniore excluduntur cum excrementitiis humoribus fœcibus intermixtis: Imò tandem pingvedinis aliquid inteſtinalis cum maximo patientis detrimento excernitur, id quod ſubintelligendum de fluxu alvi ſymptomatico.

Theſ. V.

§. 1. Cauſas remotiores conſtituunt, naturales, non naturales & præternaturales: Inter naturales [1.] occurrit temperamentum cholericum atq; ſanguineum i. e. calidum

&hu-

& humidum. In bilioſis enim atq; ſanguineis archæus deprehenditur alacris atq; robuſtus maſſaq́; ſangvinea ut & reliqui humores ad varias œconomiæ noſtræ fermentationes neceſſarij, facilimâ datâ occaſione vitioſè efferveſcunt. (2.) Ætas: infantes, adoleſcentes ac in ætate virili conſtituti utplurimum hoc ſymptomate corripiuntur, quia in hiſce ætatibus conſtituti recenſitis temperiebus gaudent, præ aliis. [3.] Anni tempus: experientia optima rerum magiſtra nobis indicat vernale atq; autumnale. His enim temporibus corpus humanum ad novam eamq́; peregrinam fermentationem valdè eſt diſpoſitum; & quidem vernali tempore, ob ſpiritus ætherei fortiorem influxum, autumnali verò ob copioſam fructuum horariorum aſſumptionem.

§. 2. Nonnaturales quoq́; ſuum addunt ἐπιβάλλον μέρος: Aër quatenùs ebullitionibus corporis humani inſervit, eatenùs calidior Auſtralis & pluvioſus ſunt hujus moleſtiæ auctores, uti Hippocr. monet ſect. 3. aphor. 16. quando dicit: Ἐν μὲν τῇσιν ἐπομβρίῃσιν γίνεται κοιλίης ῥύσιες, καὶ σηπεδόνες, i.e. Aſſiduis imbribus ferè fiunt fluxiones alvi, putredines &c.

§. 3. Cibus & potus, ſi nimirum peccant quantitate & utendi modo, gravatur enim ventriculus, gravantur & reliqua viſcera, proſternitur digeſtio ac chylificatio: Præprimis ab ingluvie fructuum horariorum tâm maturorum, quàm immaturorum, in his enim ſuccus fermenteſcens deliteſcit, qui ſtatim archæum inordinatum reddit: Suſcitatur proinde ſpiritus inteſtinorum inſitus immediatè ad perpetuam egerendi cupiditatem per inferiora. Sic uvæ affatim comeſtæ digeſtionem noſtram inobedientem reddunt, ſiquidem ab earum ſucco muſteo ac fermentativo ſpiritus in corpore noſtro tumultuantur, ipſisq́; inſignes pariunt moleſtias,

leſtias, ex quibus omnis generis tormina, diarrhœæ & conſequenter dyſenteriæ ſubſequi poſſunt.

§. 4. Potus inordinatus & copioſè aſſumptus præſertim cerevißia recens neq; ſatis defœcata, ſimili modo muſtum ſeu omnis generis ſucci fructuum expreſſi, hi enim peregrinam fermentationem ſuſcipientes, fermentum noſtri ventriculi transmutant, ſpiritum ejus innatum diſſolvunt, imò quod ſupereſt planè corrumpunt.

§. 5. Motus nimius, equitatio, curſus, labores ingentes & qui ebullitiones ſangvinis & ſpirituum conferre ſolent, in cauſâ eſſe poſſunt.

§. 6. Animi pathemata fomites quoq; ſunt; Siquidem commotiones Spirituum humorumq; per iram ſœpiusculè movent alvi fluxum. Sic ex mœrore quandam fœminam ob morbum mariti in diarrhœam incidiſſe, refert Felix Platerus lib. 3. pag. 854.

§. 7. Præternaturales ſunt; (1.) mala ventriculi ejusq; fermenti conſtitutio, unde ciborum fermentatio depravatur, quicquid enim inprima concoctione negligitur, in ſecunda, vel tertia rarò vel nunquam corrigitur. Qvare cibi in liquamen vitioſum abeuntes, non poſſunt non ſpiritum inteſtinorum inſitum ad frequentem ac depravatam ejectionem ſtimulare. (2.) Hepar atq; pancreas à ſtatu naturali declinantia; quatenus in hiſce viſceribus ob ſpiritum inſitum depravatum, humores juſtò acriores ac ad ebullitionem præternaturalem proni, elaborantur. (3.) Meſentericæ atq; renales glandulæ, ad liquorem chyloſum, lymphaticum ac ſeroſum aſſumendum negligentiores: quare diarrhœâ diuturniore laborantes, utplurimum emaciantur parumq; mingunt. Hoc expertus eſt Cl. Dn. Præſes in filiolâ ſuâ duorum annorum ante ſemiannum piè defunctâ.

Thes. VI.

§. 1. Placet nunc quædam de differentiis hic addere: Differt enim affectus noster à tenesmo, ratione conatus, quoniam non adeò validus est, ut in tenesmo: Deinde etiam à lienteriâ, in quâ cibi, quales assumti & deglutiti, iterum copiosè evacuantur. A fluxu cœliaco, dum in hoc alimenta quidem fermentata ac quodammodo immutata egeruntur, ita tamen ut chylus fœcibus adhuc sit remixtus. Existit autem semper sine exulceratione, subsequenter excludit dysenteriam: præsupponimus saltim fluxum frequentem & liquidiorem, plus vel minus copiosum.

§. 2. Sic diarrhœa alia est benigna, alia maligna: alia sine, alia cum febri: hæc critica, quæ fit cum naturæ levamine, illa symptomatica atq; perniciosa. Differt & ratione materiæ excretæ, propterea q; in biliosam, lymphaticam serosam &c. dispescitur.

Thes. VII.

§. 1. Signa diagnostica sunt, quæ statum morbi præsentem denotant. Nostri verò symptomatis sunt, murmura ventris, lumborum atq; hypochondriorum, earumq; dolores, hinc Hippocrates non immeritò monet Sect. IV. aph. 73. quando dicit: ὁκόσοισιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορύζοντα, ὀσφύος ἀλγήματος ἐπιγενομένου, αἱ κοιλίαι τουτέοισι καθυγραίνονται. i. e. Quibus sublata hypochondria murmurant, lumborum superveniente dolore, iis alvi humectantur. Uti & liquida, aucta, interdum etiam depravata stercorum nunc viridium, flavorum, nigricantium, albicantium &c. excretio, mala ventriculi constitutio, in eoq; prava alimentorum

digestio

digeſtio, ructus nidoroſi, urina pauca atq; ſi febris adſit rubicunda &c.

Theſ. VIII.

§. 1. Signa prognoſtica ſunt quæ futurum ſtatum ſeu eventum præſagiunt vel ad ſalutem vel ad mortem: Diarrhœa itaq; ex ſe non eſt periculoſa, ſi modo febris, præſertim maligna abſit, purgatur enim corpus à naturâ & quod exitioſum eſt excernitur, ſin verò ultrà ſeptimum diem perdurat, uti Celſus loquitur lib. 4. & ſuperveniunt febriculæ degenerat tûm in ſymptomaticam, quoniam vires valdè proſternuntur, & conſumuntur, præprimis in illis febribus, ubi conjuncta eſt pleuritis, referente Coo. Sect. 6. Aph. 16. Pleuritide aut peripenevmoniâ detento alvi profluvium ſuperveniens, malum. Verbo malignitas ſi conjuncta eſt, malum & viceverſâ. Ad ſalutem itaq; tendit diarrhœa, quando excrementa excernuntur naturalibus non valdè diſſimilia vel ſi vires ad tempus proſtratæ iterum recolliguntur, nec tormina amplius percipiuntur.

§. 2. Stercora verò nigra, pingvia, livida, aut æruginoſa, aut malè olentia ſigna ſunt lethalia juxta effatum Hippocr. Sect. 2. prognoſ. 14. 22. & 23. Inprimis ſi vires ſummè ſint proſtratæ, ſubeſt enim vel febris lenta eaq; colliquativa, vel ſumma humorum malignitas. Ad mortem enim recenſita ejusmodi excrementa, propter ſubſequentem maraſmum cum ſingultu aliis, malignis ſymptomatibus tendunt.

Theſ. IX.

§. 1. In Diarrhœa benè attendendum num ſit critica, an verò in ſymptomaticam degeneret; Si criticè affe-

ctus noster se exhibeat, non statim sistendus est medicamentis adstringentibus alvi fluxus, ne natura, semetipsam purgando, turbetur ac molestetur: Sin verò perduret ultrà tempus legitimum, tunc cohibenda est medicamentis necessariis, ne protrahatur in symptomaticam, cum maxima corporis jactura. Quod si verò in symptomaticam degeneravit diarrhœa quantocyus est compescenda, si nimirum colliquatio atque tabescentia viscerum partiumq; seu virium prostratio apparet, quam lipothymiæ facilè consequuntur, ac tandem mors.

§. 2. Cognitis itaq; atq; perspectis quæ ad diarrhœæ naturã, causas, signa tûm diagnostica tum prognostica pertinent, operæ precium erit, ut remedia, quibus symptoma hoc nostrum. imprimis symptomaticum factum secundum medendi methodum exstirpari possit, producamus. Nititur autem laudata medendi methodus tribus indicationibus. I. CURATORIÀ, quæ proximam cujuslibet affectus causam tollere jubet. II. PRÆSERVATORIÂ, quæ causas mediatas & antecedentes alterando aut evacuando avertit: dum ostendit diætam probè observandam applicationemq; medicamentorum, circa causas antecedentes occupatam. III. VITALI, quæ de virium amissarum recuperatione & adhuc præsentium conservatione est solicita. Hisce indicationibus remedia inservientia desumuntur partim ex fonte pharmaceutico, partim diætetico. Chirurgiam ceu tertium aliàs Medicis decantatum fontem, ad affectus nostri curationem ceu inutilem rectè omittimus, quoniam nec V. S. aut ulla alia operatio chirurgica in affectus nostri curatione invenit locum, nisi quod interdum emplastrum aut cataplasma adstringens simul applicetur.

Thes.

§. 1. Fons pharmaceuticus varia remediorum tam internorũ quã externorum genera nobis ante oculos ponit; ex quibus summâ cum cautelâ primò sunt adhibenda quæ humores pravos seu stimulantes laxando expellunt, simulq; abstergendi atq; adstringendi virtute prædita, deinde adstringentia, roborantia & quæ spiritũ nostrum insitum placare & compescere valent. Evacuãtia propinentur ante diem tertium, sin verò fluxus alvi diutius duraverit nempè usq; ad diem sextum, septimum vel octavum, tunc neutiquam evacuantia ægris propinanda sunt, sed potius corroborantia & adstringentia, tunc enim cura extraordinaria est tentanda ob virium diminutionem.

§. 2. Evacuantia hic conducunt leniora atq; simul abstergentia v. g. aloëtica & rhabarbarisata ut sirupus de cichorio cum rhabarbaro, Rhabarb. in substantia atq; inde præparata essentia, Aloës rosata, violata, quoniam medicamenta ejusmodis adstrictionem quandam post se relinqvunt: quidam hoc in passu laudant agaricum, quærentes in illo adstrictoriam amaritiem, hinc huic medicamento levem adstrictionem tribuunt.

§ 3. Nec vomitoria sunt excludenda, utpotè in hoc passu valdè conducibilia, inprimis si nostri symptomatis fomes hæreat in ventriculo, saburram enim vitiosorum humorum in ventriculo latitantium quantocyus exterminant, atq; ex toto corpore eosdem revellunt. Senex propterea noster grandævus Sect. 1. aph. 21. vomitoria non immeritò laudat, per quæ sæpius tota absolvitur curatio, conducunt autem ex ♁ diligenti pharmacopœi manu benè elaborata

v. g. ☿. emet. Mynsichti, crocus metallorum ejusq; infusum & alia exinde præparata.

§. 4. Diaphoretica non sunt negligenda, inprimis exsiccantia, acres humores præcipitantia atq; adstrictoriâ simul virtute prædita, qualia sunt ♁ diaphoreticum, oculi ♋, ebur. sine △. præparatum, corall. rubr. fl. ♁. C. C. phil. præparatum. Spiritus furibundos simul demulcent theriac. Andromachi, Diascord Frac. Mithrid. Laud. opiat. indeq; præparata tinct. anodyna, Fortius adstringunt rad. tormentillæ, bistortæ, myrtilli exsiccati, succus acaciæ & hypocystidis, item terrestr. ut terr. sigillata Strigensis, bol. armena, terr. catechu ejusq; tinctur. sanguis draconis, crocus ♂tis adstringens, quæ omnia in jusculis vel liquoribus huc aptis v. g. ▷ plantag. burs. pastor. tormentill. &c. propinari queunt.

§. 5. In roboratione ventriculi blandiora ac simul specifica conveniunt aromatica v. g. ▷ cinamomi cydon. menthæ. c. v. ♌. ♎ mastich: tinct. cinam. ♎ theriacal. Sir. myrtinus, corallorum, cinamomi, item tinct. corallor. Essent. absynth. NM. pulvis stomachicus Quercetani, tragea stomachica & horum similia.

§. 6. Transmissis internis, descendimus ad externa, quæ suum quoq; symbolum addunt curationi: In hunc finem conveniunt linimenta, unguenta, & emplastra v. g. Ol. mastichis. ♌. NMosch. express. Species arom. rosat. Ol. carminativum Mynsichti, caryophyll. misceantur cum s. q. ceræ virgin. fiat linimentum de quo ægrotorum venter sæpius inungatur. Postmodum emplastra in hoc affectu magni sunt momenti, præsertim si parata sint ex recenti theriacâ, balsamo peruviano & bolo armenâ: inprimis de crustâ panis, de mastiche, itemq; emplastrum stomachicum Zwölferi, quæ omnia cum oleis aromaticis malaxanda sunt

ad

ad confortationem ventriculi & intestinorum, eorumq; regioni imponenda sunt.

§. 7. Non transgredienda sunt cataplasmata, fomenta & similia, quoniam quodammodò cœteris paribus ventriculum, reliquaq; viscera roborant & humores acres mitigant, in quem usum sequentia laudantur v. g. far. rad. alth. fol. menth. pulveris. Ol. NMosch. express. pulv. caryophyl. Zedoar. cum fermento panis q. s. ad applicationem: Deinde fomenta multum hic præstare queunt, quod Riverius extollit laudibus, centur. 2. observ. 49 qui recipit suffimigium ex decocto tapsi barbati in cathedra perforata quo fluxus ventris maximè cohibitus est: Alii commendant, flores verbasci, mastich. thus, fl. rosar. rubr & similia.

§. 8. Huc quoq; pertinet clysteres paregorici ac abstergentes ex decocto rad. alth. herb. malv. violarum reliquisq; floribus & fructibus cum melle rosarum & vitell. ovor. vel fiant ex lacte caprino vel decocto hordei, vel jure carnium, melle & similibus.

Balnea tandem quoq; conveniunt, quæ tamen cautè usurpanda sunt, fiunt autem ex alumine, vel 🜍, vel lacte, in quo extinctus est chalybs candens &c.

Thes. XI.

§. 1. Restat tandem fons diæteticus, qui consistit in sex rerum nonnaturalium rectâ administratione: Cibi ergò sint εὔπεπτοι melioris succi, aliquo modo abstergentes & adstringentes, tenues, ne uno impetu fermentationes lædantur, aliàs malum abit in deterius. Sint etiam pauci & salutares, aliàs si excedant, pariunt insignes ventriculo molestias reliquisque visceribus: Panis sit triticeus benè fermentatus atq; coctus: carnes potius assatæ quàm elixæ, vitanda quoq; sunt omnis generis pingvia; quæ ventriculum

lubrici

lubricitare solent. Ex avibus seligantur turdi, merulæ, seu columbæ: ex oleribus sint pultes ex oryzâ, milio, ptisana hordeacea seu avenacea; Ex fructibus cydonia cocta, sorba & myrtilli exsiccati: Jonstonius commendat mespila cocta, seu decoctum eorum. Potus ratione quantitatis sit parcus, paucus, ratione qualitatis non adeò frigidus neq; intensè calidus, deinde benè sit defœcatus, abstineant à cerevisiâ Numburgensi; eligendum est vinum rubrum seu stipticum, cum succo acaciæ commixtum. Lac caprinum propinari quidem potest, si febris abest: sin verô affectus conjunctus cum febri, tunc abstinendum est à lacte inquit Hippocr. sect. V. aph. 64. Nos in hoc passu commendamus serum lactis caprini.

§. 2. Eligendus quoq; est aër purus atq; temperatus, nimis frigidus vitandus, quoniam crebrò diarrhœas promovet, transpirationem humorum vitiosorum per cutim tollit: Sit ergô aër moderatè calidus & siccus, ne constitutio corporis abeat in deterius. Animi affectus sunt evitandi, absit tristitia & mœror, præ omnibus hilaritas præferenda est, similiter caveant sibi ægri ab irâ quæ Spiritus humoresq; in corpore nostro ad effervescentiam præternaturalem atq; ferociam instigat.

§. 3. Somnus conciliandus ægris, quo præsente multa mala subterfugiunt, hinc de profluviis diuturnioribus per somnum multos liberatos fuisse, quidam Medicorum audacter asserunt. Vigiliæ diutius protractæ cruditates corporis pariunt spiritusq; absumunt, absint motus corporis nimii & violenti, semper tamen quieti studendum: ♀ moderatè coercenda: & sic fluxus alvinus bono cum DEO sisti potest.

SUMMO ARCHIATRO SIT LAUS HONOR ET GLORIA.



ERuit effoßâ tellure Metallicus aurum

Escrutando cryptas, nulli parcendo labori:

strenuus acquirit sic pondera fulva metalli,

pauperiemq; fugit contemptis usq; periclis:

BERGMANNUS pariter, docti Patris æmula proles

â Medico pendet solertior ore, medendi

indagans Artem, studiô quam sedulus omni

tractat: id ostendit Cedrô dignissimus ausus,

C Dum

Dum benè disquirit, quali microcoſmica niſu
(da.
& quibꝰ auxiliis veniat cataracta levan-
Macte novâ virtute! Tibi det Cous honores!
Det Galenus opes! Non eſt mortale, quod opto.

ἀυτοσχεδ.

D. GEORG. CHRISTOPH. PETRI
ab Hartenfels/Com. Pal. Cæſ. Med. Electoral. Mog. & Erffurtenſis Ordinarius, Fac. Med. p. t. DECANUS.

ORbis Roma caput, junxit tunc templa Dearum;
Virtutis, primùm, *alterum* poſtea *honoris* erat,
Quò nulli vendatur *honos virtute* carenti,
Et *virtus* oneri digna brabeja daret.
Ecce Deam juſtam cunctisq; laboribus æqvam!
Remunerat doctos, deprimit atq; rudes.
Nonne *Tibi* merito *Virtus* haud naufraga ſolvet,
Quod ſolet in Templo fœnore multiplici?

Lætifi-

Lætifero vultu, dum cinget, tempora lauro.
Hoc tandem fiat. Sic precor ex animo.

Hacce
gratulab. apposuit
PRÆSES.

SCrutator terræ *per quævis dura metalli,*
Rimatur venas fortiter auriferi,
Et generosus amat trepidanda subire pericla,
Ut prudens arte, & dives honore sciet.
Fallitur interdum vacuus conamine tanto,
Ut sibi nec mundo gratus adesse velit,
Hocce tibi scrutans, *minimè contingere credo,*
Nam quod sperat habes, nummus honosq; valet
Atq; *Deo, patriæ,* tibi, *gratus adesse valebis,*
Quod Celeri calamo gratulor Artis amans.

Ex sincero animo,
VITUS MICHAEL GROPPIUS,
Andisleb.

PRæsidij firmo Clari tutamine Vesti
Nil nocuit tuto grande sophisma.
Tibi.

Quan-

Quando conſcendis, Bergmann, tutamine forti
Pulpita, num poterunt tela nocere Tibi?
Quin profligabis minitantia tela Sophiſtæ
Præſidio forti, calliditate tua!

Benevolentiæ ergò appoſuit
VOLCMARUS VVILH. Starckloff/
Ph. & art. med. cultor.

